DE
CARCINOMATE EPITHELIODE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ADIPISCENDOS SCRIPSIT ET

DIE XIV. MENSIS AUGUSTI MDCCCLVI.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRID. CONSTANT. RAMMSTEDT

WETTINENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

ALBERT TAUSCH, MED. ET CHIRURG. DR.

MORITZ KOEPPE, MED. DR.

HALIS SAXONUM

TYPIS HEYNEMANNIANIS.

VIRO

PERILLUSTRI EXCELLENTISSIMO PERITISSIMO

E. BLASIO

EQUITI

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO
SCHOLAE OPHTHALMIATRICO-CHIRURGIAE DIRECTORI
VIRO A CONSILIO REGIS INTERNO
PRAECEPTORI MAXIME VENERABILI.

HASCE PAGELLAS PIO ANIMO OFFERT

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Reputanti mihi animo atque cogitanti, quanam de re dissererem postremo occassio quaedam valde opportuna oblata est. In clinico enim chirurgico, quod Blasio viro peritissimo hac nostra in urbe floret, singulare quoddam canceromatis epithelialis exemplum mihi obvenit quo nullum erat aptius ad illustrandam illius morbi naturam. Quod quum dilucide nobis esset explicatum animum induxi illum ipsum eligere morbum de quo dissererem sed priusquam ad rem ipsam accedam, omnes benevolos lectores, si qui erunt, etiam atque etiam oraverim, ut si quid minus recte dixerim aut erraverim, benigne mihi, quae est juvenilis imperitia, dent veniam.

De Carcinomate epitheliode.

Priorum medicorum sententiae de carcinomate ejusque sanabilitate valde inter se discrepant, quum alii multis in casibus perpetuam carcinomatis sanabilitatem esse confirmarent sive medicamentis dynamicis, sive operatione instituta, alii omnibus in casibus nullum redundare fructum atque utilitatem ex therapia, intelligerent quamobrem, praesertim quum recidivas incedere vidissent, hi optimo jure mihi videntur contendisse, carcinomatis nullam esse sanationem. Illi igitur medici, qui carcinoma posse sanari dixernnt, quia illo remoto nullam incedere recidivam viderunt, certe verum atque rectum carcinoma non habuerunt, sed adfuit carcinoma epitheliodes quod vocatur, quodquidem re vera esse atque diferre ab vero carcinomate novissimis inquisitionibus patuit. Anteaquam illud est perspectum discrimen, quod inter diversa est ulcera carcinomatosa, quorum alterum geuus idque verum carcinoma semper habet recidivas, alterum saepissime operatione facta in perpetuum est sanatum, ulcera illa carcinomatosa divisa sunt in ancipita atque gravia et bona et non acuta, quae quidem divisio, quum arte atque disciplina non esset conclusa, optimo jure a multis est

improbata atque una sola erat microspia, quae strictum statuebat discrimen inter carcinoma verum et insanabile et carcinoma sanabile. Itaque hoc carcinomatis genus nominatum est epithelioma sive carcinoma epitheliodes, quorum strictum discrimen omnibus inquisitionibus microscopicis patet. Hannover bonum et non acutum ulcus carcinomatosum nominavit propter propriam ac singularem rationem epithelialis formationis epithelioma. Sejunctionem strictam carcinomatis ab aliis ulceribus carcinomotosis alii improbant autores, qui illam sejunctionem microscopice anatomice demonstrari posse negant. Ex recentioribus autoribus nominandi sunt Bruch et Virchow. Bruch quidem*) dicit: Explicantur partes elementariae in carcinomatis alii modo atque ceteris in texturis? Hoc ille negat atque tum: Hac ex explicatione prodeunt formae, in quibus certe grave quoddam ulcus potest diagnosci? Hoc ille confirmat. Posteriores carcinomatis cellam specificam absolute probant, sic Lebert, Frerichs, Gluge, Robin, alii. Hannover quidem exploratum habet, ad diagnosin statuendam ulceris a corpore remoti solum microscopium esse adhibendum, ut distingui possit, num sit carcinoma; quod si adest, semper carcinomatis cellae reperientur, quae ubi desunt, nullum adest carcinoma. —

Eodem modo secundum Foerster**) epithelioma ceterorum carcinomatis generum certis descriptum signis, primum enim plana forma plurimarum cellarum, deinde autem eo, quod illius princeps initium semper est cutis

---

*) Bruch, pag. 318.

**) Foerster, pag. 273 ff.

aut membrana mucosa. Quae quidem sententia cum Hanoveri consentit. Ille hac de re ita censet: Epithelioma in homine incedit in ea tantum superficie cutis et membranae mucosae quae perfecto epithelio est obducta neque unquam observatum est in membranis mucosis cum cylindro aut epithelio insultante et coruscante neque in organis interioribus neque in clausis cavis epithelio emplastro circumdatis. Similis est sententia Rokitanky, qui dicit, carcinomata epithelialia fere in solas membranas mucosas atque strata universalia pertinere. Subtiliore enim dicit inquisitione patere, illas formationes naturae non consentaneas totas esse compositas ex cellulis, quae nobis omnibus in rationibus cellulis epidermidalibus aut majoribus epithelialibus formationis emplastri valde similes esse videntur et in universum et si explicationem quaerimus. Epitheliomatis sedes fere est prope corporis majores partes dejicientes, prope os, nares, anum, virilia atque muliebria. Saepissime autem sedet epithelioma in labris, inprimis in inferiore, plerumque in viris, raro in feminis. Cujus rei caussa mihi in eo videtur esse posita, quod viri, qui fumum tabaci ducunt, fumisugio demisso semper inprimunt in labrum inferius illudque irritant, qua quidem re magna epithelii hypertrophia efficiatur necesse est. Permulti, qui huc spectant casus, nostris his in clinicis sunt observati. Praeter labra inprimis lingua, virilia et muliebria, capitis atque corporis partes, extremae partes superiores et inferiores afficiuntur, cujus rei exemplum infra explicandum est. Hic canceroma epitheliale a corio omnes in partes circumjectas atque ipsa ossa potest propagari, extrorsum perrumpere, concidere, absorberi, atque operatione facta non raro redire.

Aetiologia.

Caussas principales, quae carcinoma efficiunt epitheliale, ita non possumus explicare, quam ipsius carcinomatis communis. Sane quidem saepe carcinoma epitheliale ortum esse scimus mechanica quadam efficientia ictuum, plagarum, impressionis, aliis stimulis localibus. Sed haec omnia plerumque pertinent non in ipsum verum carcinoma epitheliale, sed in tumores papillarum, quarum in basi ulcerante sane quidem carcinoma epitheliodes potest explicari. Carcinoma epitheliodes saepius incedit in viris quam in feminis plerumque aetate jam progressis, raro in aetate infantiae atque pueritiae. Attulerunt nonnulli exempla, quae epithelioma esse hereditarium demonstrarent. In labro epithelioma saepe nasci dicitur irritamento barbae radendae aut fumisugiis ductis, id quod supra jam commemoravi. Item syphilis multum posse dicitur afferre ad gignendum carcinoma epitheliodes, item phimosis immunditia atque ea orto irritamento carcinoma epitheliodes gignere in pene. In nostro, qui adest, casu, ubi carcinoma primum in tibia est explicatum, princeps erat caussa mechanica quaedam efficientia plagae, quae illum locum tibiae concussit, quibusque pluribus aegrotus tempore procedente est affectus.

Symptomatologia.

Fere idem, quod carcinomatis, est initium carcinomatis epithelialis. Primum apparet exigua quaedam durities, quae sub superficie epidermides aut epithelii est sita. Interdum surgunt pustulae, aut exsistit excoriatio. Sedes ejus est in reti Malpighi, quod condensatur, quae quidem condensatio efficit auctam permagnam infiltrationem cutis, quae inde dissolvitur atque introrsum corium simul afficitur. In modo illo diverso, quo tres illae cutis partes, epidermis cum matrice, rete Malpighi, corium alia ad aliam corripiuntur, insequens posita est explicatio duritiae ejusque aspectus in superficie atque secturae planitie si cultro persecatur. Interdum tumoris superficies manet levis aut morbo procedente mori formam induit. Aliis in casibus superficies fit inaequalis et villosa, id quod eo efficitur, quod tumor in diversas papillas vicinas disjicitur. Nonnullae papillae fortius possunt explicari, quod si potissimum fit, pedunculatae fiunt, extremae intumescunt, atque tumoris superficies aequat floris doliolum aut condylomata pedunculata. Facillime possumus inter papillas irruere, saepius tumoris superficies multum temporis levis potest se conservare atque epidermide esse obtecta, sed multo

saepius superficies excoriatur atque exulceratur secreta epidermide, quo facto substantia facit damnum, atque ulcus incrementa capit et si magnitudinem et si profundum spectamus. Magnitudo epithelii, quod nemo curat, valde potest augeri ab magnitudine pisi usque ad anserini ovi. Quamquam epithelium initio quidem partibus circumjectis satis stricte est seclusum, tamen magis minus mox aut exulceratione aut epithelii radicibus illae occupantur. Primum quidem cutis circumsita inflammatur, hypertrophica fit, cuniculis quasi subtrahitur atque late potest deleri. Tum musculi participes fiunt degenerationis quum fiant atrophici. Ossa si quae prope illos sita sunt quum impressione mechanica tumoris tum epithelii radicibus facile possunt absorberi. Aliis locis ossium materia valde potest augeri aut fit necrotica. Hoc nostro casu, quem inquirendum mihi proposui, omnes illas ossium immutationes ita sese habere demonstratur, quod infra accuratius inspiciendum erit. Partium vicinarum immutationes modo hae modo aliae sunt pro sede epithelii, sed quum nobis de solo illo epithelii sit quaerendum, quod pertinet ad extremas partes, illud jam omittamus! Vicinae glandulae majores solent intumescere quod plerumque non fit nisi in extremo morbo aut operatione quadam suscepta.

Utrum functiones illarum partium, quas occupat epithelium, impediantur annon, pendet ex illius sede atque magnitudine. Epithelium potest functiones interrumpere, ubi labra, linguam, cardiam, rectum tenet, itemque penis functiones impediuntur. Nostro in casu, ubi epithelium tibiam vicinasque partes valde destruxerat, aegrotus multo ex tempore quominus iret impediebatur,

ita ut fere semper ille lecto teneretur. Dolores plerumque desunt, quamquam saepe posterioribus in stadiis incedunt suppuratione aucta, neque tamen singulalares habent notas atque proprias, quibus ab illis differunt, quae carcinomate affectum cruciant, lancinant atque efficiunt, ut aegrotus carbonem urentem sub cute habere sibi videatur. Sanguinis effusus item fiunt, quamquam non sunt frequentes neque ita uberes. Si principium quaerimus, plerumque eos ex ulcere prodire videmus. Saepius coeunt sanguinis coagula. —

Carcinoma epitheliodes morbus est localis quo una sola corporis pars afficitur, quamobrem multo difficilius fit perpetuum quam carcinoma, quod totum, ut ita dicam, organismum morbi reddit participem. Conditio aegroti universalis plerumque est bona, quae sane erat nostri aegroti et ante operationem et per multum temporis postea. Ubi autem uberiore atque constante secretione nervi atque vires franguntur, tum demum aegroti constitutio affligitur. Quo facto fiunt febris tentationes, aegroti facies fit cachectica, quae doloribus posterioribus in stadiis incedentibus valde augetur. Spatium permanentis carcinomatis est diversissimum ita ut ab mensibus singulis in totos annos possit porrigi. Quod enim jam supra exposuimus, tumor per multum temporis poterat stare neque tamen in ulcerationis stadium transiit. Ulceratione autem facta morbi processus citius progreditur.

Operatione carcinomatis epithelialis facta plerumque certo potest praedici, utrum in perpetuum sit remotum necne. permultis enim in casibus malum operatione facta recidivas habuit. Inprimis labrorum car-

cinoma epitheliodes habere recidivas est observatum, ita ut Hannover quidem triens omnium casuum habere recidivas diceret. Idem ille auctor in eadem persona quattuor observavit recidivas. Possunt autem recidivae post longa brevia spatia alia aliam insequi. Utrum frequentia recidivarum in exstirpatione manca atque imperfecta canceromatis epithelialis sit posita, an aliis in caussis pro certo affirmare non possumus.

Diagnosis carcinomatis epithetialis.

Quum carcinomati epitheliali alii alios possuerint autores terminos, sane difficile est morbum illum cognoscere. Dederunt enim illi quum subjectione sub illam notionem majorem locum, tum negaverunt multa mala, quae antea pro epitheliomate habebantur, hoc in numero esse prorsus ponenda. Inprimis Foerster notionem epitheliomatis angustissime coërcuit multaque ulcera ejecit, quae alii illi esse subjecta censuerunt. Itaque primum quidem constituamus necesse est, quamnam secuturi simus sententiam atque quum supra semper sit repetitus, videtur esse consentaneum, praesertim quum ad casum illum infra explicandum illius adhibuerimus descriptionem, definitionem ab illo statutam ad epithelialis carcinomatis diagnosin adhibere.

Duabus rationibus morbum possumus perquirere, quomodo corpus delicti sese habeat et ipso in corpore et ab eo remotum. Multa jam expositorum necesse esset repetantur, quum multae morbi notae ex aetiologia, atque morbi processu animadvertendae sint, praesertim si in ipso corpore morbus est explicandus. Nihilominus ne subtilissimis quidem adhibitis rebus saepe fieri non potest, ut morbus, inprimis initio, recte describatur. - Sub loco quodam corporis duritas, quam sentimus, utrum tumoris

sit fibrosi principium, an alii generis an ipsum carcinoma epitheliale, non possumus definire. Loca, ubi epithelioma solet incedere, simul sedes sunt aliorum ulcerum, quamquam sane quidem potest statui inter illa discrimen. Non commemoro, omnino aliam eorum esse structuram anatomicam, quam carcinoma et epithelioma. Statim primo aspectu patebit, his in ulceribus chronicis multam esse novam formationem, qualis est in carcinomate, sed potius praesentes telas cellulosas physiologicas destrui. Una sola, quae reperiuntur, neoplasmata sunt granulationes superficiei ulcerativae, quae omnino pares sunt illis, quas in vulneribus atque ulceribus reperimus, quas nullius esse momenti certo scimus. Si quis tumores glandularum epitheliomatum esse principium putaverit, inquisitio microscopia satis erit ad diagnosin stabiliendam. Sed hic facilius sane est in corpore vivo discrimina facere quam inter tumores, quos supra memoravi fibrosos atque epithelioma. Spatium, tumoris consistentia, aliae glandularum ulcerationes, habitus scrophulosus, aetas atque genus aegroti magni erunt momenti.

Quamquam autem facillime microscopium dijudicat, tamen morbi inquisitio cum corpore cohaerentis, quamobrem illa mala commemoranda mihi visa sunt. Contrarium est, ubi verrucae sejungendae sunt ab epithelioмate incipiente. Hic microscopium nullius est momenti, quum eo solum demonstretur utraque morbi producta eandem habere structuram anatomicam. Huc accedit illud, quod verrucae saepissime eum occupant locum, qui epitheliomatis singularis est ac proprius. Quamobrem hoc ipso loco inprimis quaenam sint rationes pathologicae quaerendum videtur. Si ad principium spe-

ctamus morbi perspectum habemus verrucas antea non patere sub superficie cutis, sed statim eam superare. Noduli aut duritatis prior praesentia igitur subcutanea hoc loco epithelioma adesse luculente demonstrabit. In verrucis duritas est major quam in epitheliomate. Ubi verrucae, id quod fit rarissime, suppurant, hoc non fit eodem modo quo in epitheliomate, ubi suppuratio ab tumoris superficie incipit. Si ultimum utriusque morbi formae processum respexerimus, intelligemus in verrucis sanationem spontanam esse solere, quod in epitheliomate atque igitur in illis, quae Foerster nominavit, tumoribus papillaribus nunquam fit. Ea corpora mollia, quae ex epitheliomate, ex iis non possunt exprimi. Condylomata autem quum cum verrucis summa sint conjuncta necessitudine anatomica, facile quoque possunt pro epitheliomatis haberi, quibus sane quidem similiora sunt quam illae. Cum his illud habent commune, quod cutis papillarum sunt productiones, singulare autem est atque proprium, quod stratum epitheliale multo est tenuius omnibusque sive magnis sive parvis eandem format straturam. Quum condylomata soleant esse orta morbis venereis, [videtur inprimis inspicienda anamnesis casus pernoscendi. Epitheliomata autem ex lue esse orta nunquam est observatum, quamquam negari non potest, syphili posse illa immutari, quum intellectum habeant, haec ulcera praeterea ulcera syphilitica occupasse. Processus eorum plerumque non par est epitheliomatis, quum illa adhibitis interioribus antisyphiliticis remediis et aliis sanentur, quod item non observatum est in epitheliomate. Porro animadvertendum illud est, quod condylomata nunquam tamdiu adsunt immutata, quamdiu

epitheliomata, quae immutata multos per annos possunt vigere.

Hannover quidem in speciosam vocavit comparationem comedones atque epithelioma, quae eo magis tenet nostros animos, quum exterius illius velum omnino nulla re formetur nisi cellulis epithelialibus. Major quaedam confusio, id quod patet, accuratiore instituta inquisitione anatomica statui non potest, quum hae formationes cum papillis cutaneis nullo sint conjunctae nexu neque radicitus in profundum porrigantur.

Maximi esse momenti videtur epithelioma sejungere ab canceromate. Quae autem supra dixi de tumore incipiente, eadem pertinent ad sejungendum epithelioma ab canceromate. Item non facile possunt pernosci verum cutis canceroma atque epithelioma forma ulceris, quamquam ex sanguine effuso atque secretionibus potest concludi, quaenam sit ulceris natura. Canceromatis tota superficies ulcerativa sanguinem fundit et secernit, in epitheliomate liquor emanat ex rimis inter papillas sitas. In liquore purulento notam quandam principalem reperies, quod in epitheliomate multae cellulae epitheliales aspiciantur necesse est. Videntur mihi dolores quoque habitusque aegroti ad canceromatis diagnosin magnam habent vim, quamquam nihil certi illae habent res, quum modo hic desint, modo in ipso epitheliomate possint incedere. Hic status canceromatis cachecticus eundem dolorem reposcit aliis in organis; quum in epitheliomate nihil intumescit nisi propinquae glandulae lymphaticae; porro quoque insanabilitatem efficit, ita ut saepe e juvantibus possimus concludere. Si sedem utriusque morbi formae respicimus, epithelioma constanter locis, quae de-

scripsi, iis invenitur, quum canceroma omnibus possit incedere locis. Quod quidem multum confert ad pernoscendum tumorem in ipso corpore. Aliter idque facilius res sese habet microscopio adhibito, quum canceromatis cellulae facile possint discerni ab epithelialibus, quamquam hae, ubi recentiores sunt, illis tam sunt similes, ut, granae magnae quae in carcinomatis cellulis adsunt, non sint ignorandae. Rerum naturae est consentaneum, cellulis specificis atque propriis alios quoque tumores facillime posse secerni ab epitheliomate.

Prognosis et cura.

Quamquam in epitheliomate prognosis non est tam mala, quam in carcinomate, tamen semper est dubia praesertim tumore non opportuno tempore remoto, sed permagnis jamjam captis incrementis. Quamquam epithelioma est localis morbus tamen semper timendum est, ne recidivae fiant praesertim ubi totus morbus deleri non potest. Summa est opportunitas prognosi in epitheliomate labrorum, non eadem in linguae epitheliomate, penis, uteri. Epitheliomatis artuum exitus solet esse faustus, qui amputatione recte instituta est effectus. Prognosis autem morbi cum canceromate conjuncti valde est importuna.

Ne de cura longus sim, illud unum commemoro, remedia localia una solo prospero cum eventu aegroto praeberi atque tumorem esse removendum, ut totus morbus semel eruatur. Illis autem remediis non plus proficiunt unguenta, id quod eventu est demonstratum. Neque multo majorem habent vim ligaturae, ita ut optimum videatur esse remedium culter, quo totus deleatur morbus. Interna autem remedia iis solis in casibus aliquid proficiunt, si morbus cum syphili aut scrophulosi est conjunctus.

Carcinoma epitheliodes cruris.

Carolus Weschke, quadraginta quattuor annos natus Gross - Barschlebanus atque cocturae praefectus.

Aegrotus puer quindecim annorum, rota machinae stramentum concidentis quum crus esset correptum, gravi violatione anterioris cruris superficiei mollium partium est affectus. Vulnus hac re ortum tantum fuisse dicit aegrotus, quantam manum atque per tres annos hians. Dissoluto demum sequestri forma osseae lamellae duos digitos longae atque semidigitalis latitudine ulcus sanatum est. Tum tres annos erat clausum, donec aegrotus denuo eundem locum violabat, quo facto recruduit atque rursus ossis quaedam pars abjecta est. Nova contusio, qua aegrotus annos triginta tres natus affectus est, quo tempore novem praeterierunt anni, effecit, ut vulnus recrudesceret, quod amplificatum in ulcus permanens est immutatum. Porro ultimo anno illud vehementer exacerbescebat magnamque effecit multorum sequestrium eructationem, quae quidem plerisque in casibus valde erant exigua atque, ubi plurimam,

tamen fabae magnitudinem tantum habebant. Inde aegroti tota pars extrema inferior semper vehementissimis atque gravissimis affecta est doloribus, qui in ulcere ipso naturam assumpserunt lancerantem. Quattuordecim dies antequam aegrotus in haec nostra clinica est receptus, extrema illa parte aegrota quum tentavisset in torum aërem admittere, tibiam fregit, quo facto aegrotus vel minimo artus motu vehementissimis cruciabatur doloribus, ita ut etiam atque etiam ipse posceret amputationem. Quo tempore receptus est, invenimus in anteriore parte sinistrae inferioris extremitatis ulcus non legitimum, violaceum, multum formans liquoris, quod quattuor digitos supra articulum pedis incipiens atque tres digitos sub tibiae spinam vergens, partes mollis atque ossa usque ad crassitudinis radium tibiae consumpserat. Margines inventi sunt serrati, turgidi, duri atque non constanti colore et granulationibus luxuriantibus induti. Specillum ubique alte ingressum est in superficiem ulcerationis, id quod summos movebat aegroti dolores, sed duobus tantum locis os nudum poterant assequi. Infra atque supra ulcus tibiae diaphysis valde intumuerat atque aegrotus, ubi his ipsis locis inprimebatur, maximis affectus est doloribus. Articulus genu nullum habebat morbi signum neque glandulae inguinum intumuerant. In universum si quaerimus, aegrotus satis bene sese habuit, sed macer erat succisque amissis afflictus atque doloribus et insomniis fatigatus est. Vicesimo uno die men. Jan. h. a. amputatio secundum methodum diagonalem est effecta atque femur transverse est discisum, qua in re arteria cruralis

atque aliud idque minus vas fascia substringebantur. Vulnus autem sutura est conjunctum.

Perspecta extremitate dissoluta patuit exquisitum quoddam atque singulare epithelioma, quo sane quidem permagna deletio tibiae est effecta, ita ut illa multis locis esset perforata atque transformatio per ossa jam surarum musculos occupaverit. Sub cute sana luxuriatio epithelialis in ipsum porrigitur os infra illud magis magisque tabescens, sic tamquam superficies tres sexve lineas crassa usque ad spinam tibiae, atque etiam deorsum duos digitos latius quam ulceris margo turgidus. Ipsum os non degeneravit, sed absorptione tabuerat atque duobus tantum locis valde exiguis duo inventa sunt parva sequestria. Quo loco fractura est facta, antea tibiae continuitas solis duobus osseis pontibus lineae latitudine est conservata. In extrema propagatione ulceris cavum medullae ossea textura sclerosata erat clausum atque tibiae epiphyses ostitide laborabant. In arteriis majoribus partis dissolutae cutis interior atheromatose degeneravit. Amputatione facta postridie aegrotus in febrem incidit, pulsus 120—130, magna erat ejus sitis, cutis valde sicca, urina colore rutilo. Die Jan. vicesimo quarto mane inventus est in exteriore femoris amputati parte usque ad spinam anteriorem superiorem atque in ima parte natium tumor oedematosus magnosque efficiens dolores colore rubro. Postea incisio est facta duos digitos profunda, unde sanguis niger, pure haud multo mixtus emanavit. Nihilominus tumor atque rubor postridie magis magisque sunt aucti, quamobrem camillorum fomentationes sunt adhibitae. Quo facto vicesimo sexto Jan. men. die vehemens suppuratio et ex

incisione et ex amputationis vulnere evenit idque in posteriore ex parte exteriore inter cutem atque fasciam, quum interior cutis pars prima intentione esset clausa. Oedema autem acute purulentum non latius est progressum. Quo facto febris valde est imminuta atque aegrotus ipsum habebat appetitum. Item aspectus trunci amputationis erat bonus. Sed subito sexto die Mart. mens. oedema ortum est scroti atque amputationis trunci, quod celeriter propagatum est atque in ipsa ventriculi strata transiit, quo facto eodem modo affecit extremitatem dexteram atque postremo per totum propagatum est corpus, qua in re in facie superioribusque extremis partibus manebat exiguum, in inferioribus autem atque in scroto magna capiebat incrementa. Praeterea aegrotus habebat febrem appetitum nullum, ventre erat suppresso, alvus erat saepe tenuis, quae, quamquam opio in tempus coërcita est, tamen rediit atque renovata est, urina rarissima, sedimentans, fusco colore, pulsus 108, tum imminutus.

Decimo Mart. mens. die incessit cum doloribus acutus hydrothorax lateris simistri atque levis quaedam spirandi difficultas neque poterat in urina demonstrari albumen. Adhibebatur infusum digitalis cum spirit. nitric. aeth. Quarto decimo Mart. mens. die symptomata febrilia imminuta sunt atque effusa serosa paullatim disperierunt. Tum aegroto denuo praebebantur digitalis cum squilla atque spirit. nitric. aeth. Urina valde jacuit, cujus, ubi plurimum, 15 — 18 uncias aegrotus reddidit. Erat autem illa etiam tunc fusco colore atque nullum in ea inerat albumen. Tum singulis diebus quaternas quinasve habebat aegrotus alvi exinanitiones

aquosas neque tamen hac re doloribus affligebatur, quum appetitus magis magisque fieret melior. Die vicesimo sexto aegroto praebebant tart. depurat. cum digitali, quum squillam rejiceret neque haberet in deliciis. Hoc ex tempore haud exigua incessit urinae secretio atque singulis diebus habebat aegrotus quinas senasve alvi exinanitiones aquosas effusionibus hydropicis imminutis. Quinto April. mens. die aegroto propter illas aquosas dejectiones nihil praebebatur nisi thea diuretica. Interea amputationis trunci sanatio tarde est progressa. Quarto decimo die quum mane aegrotum viseremus, multo deteriorem aegroti conditionem esse cognovimus; accesserat enim respirandi sane magna difficultas, languor vehementissimus, levis quaedam febris. Item symptomata dyspnoëtica in sinistra pulmonum parte animadversa ceperunt incrementa, ubi ex prima illa effusione etiamtunc levis quaedam aderat compressio. Tunc illo loco patuit sonus plane vacuus, nullus respirandi sonus, intercostalia erant valde extenta atque luculente vehemens effusio hydropica visa est facta esse. Dyspnoëa aucta est atque acutum pulmonale oedema dexteram partem occupavit. Atque omnibus his rebus postremo effectum est, ut aegrotus postridie hora undecima vita decederet.

Sectione instituta patuit infiltratio plane purulenta pulmonis sinistrae atque exsudatio haud magna, dilucida hydropica in sinistro pleurae sacco. Dextera parte partim erat acutum oedema pulmonale, partim leviter lobularis posteriorum pulmonum partium haepatisatio cor erat normale neque usquam vestigium infiltriationum atheromatosorum poterat inveniri in arcu aortae neque in aorta thoracica. Splen permagna erat magnitudine

atque firmitate; aegrotus enim antea febribus intermittentibus laboraverat. In renibus satis dilucide poterat cognosci gravis quaedam immutatio atque pinguis metamorphosis circumscriptis minimis maculis perfusa. In inferiore parte intestini tenuioris aderat suppuratio follicularis atque Peyericorum Plaques, quae vocantur, in valvula ileocoecali magnum ulcus simplex. Degenerationis carcinomatosae nusquam repertum est vestigium.

AUCTOR USUS EST HIS LIBRIS:

Foerster, Pathologische Anatomie.

Simon, Hautkrankheiten durch anatomische Untersuchungen erläutert.

Hannover, Das Epithelioma, eine eigenthümliche Geschwulst, die man bis jetzt als Krebs angesehen hat.

Rokitansky, Handbuch der pathologischen Anatomie.

VITA.

Ego Fridericus Constantinus Rammstedt Wettinensis natus sum 5 Maj. a. 1831 patre Christopho Rammstedt, matre Carolina e gente Günther, addictus confessioni evangelicae. In schola latina Halensi per octo annos versatus vere a. 1852 testimonio maturitatis ornatus transii in academiam Halensem rebus medicis daturus operam. In numerum autem civium academicocum receptus sum a prorectore V. Ill. Dr. Eiselen, decano medicorum ordinis V. Ill. Krukenberg. Lectiones vero has audivi: Ill. V. V. Cornelius, physic.; Gerlach, psychologiam et logicen; Burmeister, zoolog.; ab Schlechtendal, botan.; beat. Germar, mineralogiam; beat. Steinberg, chemiam anorganicam, de aëre et aqua; Krukenberg, patholog. et therapiam univers. et special.; Krahmer, pharmacologiam, artem medicas formulas conscribendi, repetitor. pharmacolog.; Volkmann, physiologiam, anatom., comparat., anatom. univers.; Heintz, chemiam organic.; Blasius, chirurg. et univers. et special de fractur. et luxation., akiurgiam, de vulneribus et herniis, de fasciis et in-

strum. chirurgic.; Hohl, artem obstetric.; Schultze, anatom. pathol. histologiam, anatom. topograph.

Scholis clinicis interfui Krukenbergii et Vogelii, chirurgicis et opthalmiatricis Blasii, obstetricii Hohlii.

Quibus omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas habeo semperque habebo.

Jam vero tentamine tam philosophico quam medico examineque rigoroso superatis spero fore, ut summi in medicina honores in me rite conferantur.